

CAPITIS V N D E C I M I

Argumentum, Vsus, Partitio.

August. lib.
3. cap. 36.
de doctrina
Christi.

Memorabilis narratur historia de ædificatione Babel, deq; diuisione linguarum & gentium dispersione in vniuersum orbem: qua exponitur per *ūſēpō̄ Cīv* (Augustino annotante) quod prius uno verbo de Babel metropoli regni Nimrod, & de terra diuisa in diebus Peleg, deq; linguis & nationibus omnibus totius orbis ex Nobis posteritate ortis dictum fuerat. Postea pertexitur genealogia Semini à diluvio vsque ad Abrahamum, cuius præcipue familia, matrimonium & migratio cum patre Therah ex Chaldea in Mesopotamiam describitur. Partes igitur duæ sunt. I. Superbia & pœna ædificantium Babel, vsque ad vers. 10. II. Genealogia & migratio Abrahams. Vsus totidem sunt. Audiemus proinde exemplum detectabilis vanitatis atque superbiae hominum impiorum qui stultam nominis famam in rebus caducis captando, contra Deum insurgere non dubitant. Necnon exemplum potentiae & iudicij Dei non diiferentis, sed facile dissipantis tam fatua & impia hominum censilia. Documentum quoque vetustatis historie sacre illud erit, quod hæc narratio ostendit, que prima fuerit communis hominum lingua, quamdiu durarit, qua occasione vnde & quando Linguarum ac populorum tanta diuersitas in mundo existere cœperit, de quibus historia profanæ nihil habent. Docet quoque historia, vbi Ecclesia domicilium habuerit à diluvio vsque ad Abrahamum. Denique (quod memoratu est dignum) Spiritus sanctus pergit hoc capite Chronologiam mundi à diluvio finito per decem generationes Patrum vsque ad natum Abraham pertexere, annorum videlicet 352, & ulterius ann. 75. vsque ad mortem patris Therah, quanquam hi anni 75. in computum non veniunt: aut si veniunt, rursus inde demendi sunt ex vita Abrahams, cap. 12. 4. Ab orbe igitur condito ad natum Abrahamum fuerunt anni 2008.

PRIMA PARS CAPITI S.

Ædificatio Babel: Diuisiō linguarum.

- 1 Erat autem vniuersa terra labii vnius, & verba eadem erant.
- 2 Fuit vero cum proficerentur ab ortu, & inuenirent conuallem planiciem in terra Sinear, vt habitarent ibi.
- 3 Dixerunt vero quisque ad proximum suum: Agite formemus lateres, & excoquamus igne: & fuit eis later pro lapide, & bitumen fuit eis pro cimento.
- 4 Dixeruntq;: Agite, ædificemus nobis ciuitatem & turrim, & culmen eius in cœlum vsque pertingat: & faciamus nomen: ne forte dispergāmūr in superficie totius terræ.
- 5 Tunc descendit Iehoua, vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filii hominum.
- 6 Dixitq; Iehoua: Ecce populus vnius, & labium vnum omnibus istis est: & hoc cœperunt isti facere: & nunc prohibebitur ab eis quodcumque cogitauerunt facere.
- 7 Agite descendamus, & confundamus labium eorum, ne audiat intelligat alter labium alterius.
- 8 Dispersit itaque Iehoua eos inde in superficiem vniuersæ terre: & cessauerunt ab ædificando ciuitatem illam.
- 9 Propterea vocavit Nimrod nomen eius Babel: quoniam ibi confudit Iehoua labium vniuersæ terre: & inde dispersit eos Iehoua in superficiem totius terra.

EXPLANATIO.

11. **E**RAT AVTEM VNIVERSA TER- A pretes: fuerat autem, ad exprimendam RA LABII VNIVS. Nostris inter- *ūſēpō̄ Cīv*. Nam ante ædificatam Babel prius